Quaestio Medica Cardinalitiis Disputationib. agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 5a Aprilis.

D. Ludovico Cochin D. Medico Moderatore Sapientissimo.

An Pulsus Vitae, et Mortis Index?

Corporis oeconomiam tres diversis inter se generis facultates ita ~~ ~~ gubernant, ut omnis integritas vitam tueatur, lapsus vero mortem afferat. Vitalis quas cardiaca perficit, ac reficit maxima est utpote quae necessitas. Haec ab aliis distincta sedem habet in corde visceribus nobilissimo, et calidissimo quod absque vulnere esse impatiens, non interrupta vivit vitam diffundit in omnes partes, et si cessat totius fabricam momento diruit. Lapsus autem, vel virium constantia ex pulsu dignoscitur. qui cum sit caloris nativi custos contrariis constat motibus geminis quibus interveniente assiduo sibi succedentibus, diastole nimirum frigidum aerem attrahente, et systole fuliginis expultrice, utroque caloris fervidi temperiem conservante.

Ad explorandum utrumque motum, et quidem superam sensus ratio potior, cui simul perpendenda sunt moventis contentio, mobilis status, motus essentia, sive quantitas, et tempus. ab his simplices pulsus differentias desumuntur. siquidem a facultate vehemens fit, vel languidus, ab instrumento durus aut mollis, a quantitate magnus, aut parvus triplicis dimensionis particeps, a tempore motus quidem celer tardus, quietis frequens rarus; inter quos medius est naturalis, si servetur ordo, rhythmus, et aequalitas. Extremi omnes dantur vitio excepto vehementi qui omnium est tutissimus.

Princeps pulsus causa vis est pulsifica vitali superveniens una cum respiratione quae pendet ab animi arbitrio. Instrumenta sunt cor et arteriae quae simul dilatantur et contrahuntur. Usus caloris duplex refrigerium et spiritus nutritio. facultas si sit valida pulsum edit vehementem bonae crisis nuncium, cum signis coctionis, si imbecilla oppressione, vel dissolutione languidum et tremorem possimum. opprimitur plenitudine, ~~obstructione~~ corruptione, dissolvitur magnitudine morbi, aut diuturnitate doloris, vacuationibus immodicis. Mollities arteriarum distendi patitur in sopore et anasarca hydropum saevissimo. Duritiem prohibet in melancholicis, tabidis, plethora, inflammatione viscerum. Calor usum auget, auctum magnitudo sequitur, quae si non sufficiat celeritatem ac frequentiam accersit. Utroque diminuto pulsus rarior et tardior et minor evadit.

Verum in pulsu dignoscendo naturae, sexus, aetatis, temporis, et causarum evidentium rationem habere necesse est. Nam biliosis major inest, ac celerior quam pituitosis, gracilibus quam crassis vehementior. Mulier viro frigidior est sic pulsum habet minorem, sed celeriorem. Juvenis reliquas aetates tam vincunt pulsus magnitudine, quam calore et iracundia. Veris salubritas corpus roborat, aestatis calor vires exsolvit sed usum auget. Autumni inconstantia parit ἑτεροσφυξίαν ex morborum dissimilitudine, frigus hyems usum remittit sine vires calefaciat. Somnus dum coctionem perficit pulsum tardat et minuit. Labor famae quanto virtutem frangit. Cibus reficit, sed potus celerius. Inedia pituitosis tolerabilior vires cum pulsu debilitat sicuti omnis evacuatio. Denique animi perturbationes varie pulsum immutant pro varia caloris foris intro, et intus foras motione.

Pulsum varias morbos, eorumque causas, et partes et partes affectas intelligimus quidem, sed virium maxime robur et imbecillitatem judicamus unde salutis, et mortis praesagia petuntur. quare pulsus vehementia in aegris securitatem ex coctione pollicetur, langor et tarditas certius quam urinae cruditas mortem denunciant. Magnitudo tutior est a calore, quam ab exhausto. Celeritas in febribus nimia est tarditate periculosa. Raritas semper est in morbis suspecta, et cum parvitate lethalis. Inaequalitas comitem putredinis, dicrotus non nisi a robore. Convulsivus a siccitate ~~lethalis~~ siti vibratus certam ostendit inflammationis victoriam, undosus in febre sudorem certius promittit. formicans in chronicis tremulus in acutis mortis nuntius. Ἀταξία in bonis pulsibus non ~~ita~~ adeo magnipendenda, in malis non parvi aestimanda. ἀσφυξία omnium perniciosissima. intermissio quae juvenibus deterior, quam senibus tanto est periculosior, quanto pulsus diutius quiescit.

Ergo pulsus Vitae et Mortis Index.

Proponebat Joannes Marquisius Turonensis Dioecesis 1582.

BIBLIOTHEQUE